

accepta Transmissio nihil ferè aliud est, quam successio primordialis, sive vocatio, quæ obtingit vel à Lege, vel à Testatore, & Transmissarius est ipse vocatus, defuncti hæres primus, Transmittens vero est ipse defunctus. Ita actiones, quæ & activè & passivè, b. e. & ad hæredes, & in hæredes transeunt, item privilegia causa ad hæredem transmitti dicuntur L. 169. D. de reg. jur.

6. Strictissimè denig, considerata Transmissionis voculari, uti & hic à nobis considerabitur, Translationem successionis denotat legalem secundariam, b. e. eam, quæ fit ab hærede defuncti in hæredem, ut ita Transmittens sit hæres ante hæreditatem acceptatam, mortuus, Transmissarius vero sit hæredis illius heres. Et hoc modò sumpta Transmissio differt à Vocatione, tūm ratione causæ efficientis, tūm respectu subiecti.

7. Ratione causæ efficientis proximæ, ideo differitatem inter hæreceduovocabula agnosco, quod nempe Vocatio fiat vel ab ipso Testatore defuncto, vel à lege immediate; Transmissio vero fiat ab ipsius hærede, vel testamentario, vel legitimo. Hinc vocatus succedit jure proprio ex propria sua persona, & succedit ipsi defuncto Testatori immediate: Transmissarius autem succedit jure alieno, ex persona transmittentis hæredis, & succedit accuratè ac propriè loquendo non ipsi Testatori; sed hæreditanquam hæres Transmittentis. Ex quibus simili patescit, qui vocatio à Transmissione discriminetur ratione subiecti, nimirū hoc illius esse hæredē defuncti, hujus vero hæredis hæredem.

8. Synonymorum voculari Transmissionis cara est annona. Nam quantum mihi observare licuit, vocabulum duntaxat transferre usurpari video pro transmittere in .L. 81. D. de acquir. vel omitt. hæreditate.

9. Definitioni Nominali succedit Realis, quam talem Nicolaus Noalis ex Baldo Vasquio & Gometzio proponit in suo de transmissione tractatu pag. 2. Transmissio est quedam successionis prorogatio, ejusdem formæ & naturæ. Ab alio quoq; ita memini definitam esse Transmissionem, quod sit successionis ejusdem juris ac naturæ ex Testamento vel ab intestato ad suos, vel extraneos prorogatio. Neutra si verum dicere verum est mihi sapit, nec sapiet, cui peret us sapit, cum utraq; peccet contra Logicorum regulas. Quapropter ita placet describere Transmissionem, quod sit successionis primordialis